



*234* DE *LS, 13*  
**ACTIONE ORATORIA**  
P R O L V S I O

---

*CVIVS PARTEM PRIOREM*

P R A E S I D E

VIRO AMPLISSIMO DOCTISSIMOQVE

**IOANNE FRIDERICO HILLERO**

ELOQVENTIAE PROF. PVBL. ORDIN. ATQVE ALVMN  
ELECT. EPHORO

FAVTORE MAXIME COLENDO

DIE XXVIII. DECEMBRIS MDCCLXXV.

H. L. Q. C

PVBLICE DEFENDET

A V C T O R

M. GODOFREDVS IACOBVS SCHMID

MAGDEBVRGENSIS

---

VITEMBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRIST. DÜRRII ACAD. A TYPIS

*10*

*(1775)*



ACTIONE ORATORIA

1701

ACTIO PRIMA

ACTIO SECUNDA

ACTIO TERTIA

ACTIO QUARTA

ACTIO QUINTA

ACTIO SEPTIMA

ACTIO OCTAVA

ACTIO NONA

ACTIO DECIMA

ACTIO UNDICESIMA

ACTIO DODECIMA

ACTIO TRIGESIMA

ACTIO QUARTAGESIMA

ACTIO QUINGAGESIMA

6







DISSERTATIO  
DE  
A CT I O N E O R A T O R I A .

---

P A R S I .

§. I.

**H**oc argumentum, de quo, quum scribendum esset, scriberemus, variae suaserunt caussae, vt deligerem. Quae quidem, ingenue commemoratae, an iustae fuerint, aequo intelligentium iudicio commissum sit. Copia cum tanta sit rerum scriptarum, et abundantia, vt verissime dici potest, maxima, quid literis mandemus, vt mea quidem fert opinio, res profecto nullius momenti esse nequit, sed eam omnem prudenter diligenterque delibendam existimo.

A 2

§. II.





## §. II.

Si necessario, quae litteris mandantur, non nostra modo causa debent in publicum proferri sed etiam commodis aliorum feruiamus opus est, nobis ipsis rationem reddere, laborem confectum crebro examinare, saepiusque, integrorum adhibito amicorum iudicio, emendare, satius erit, quam temere festinare. Quodsi causa in eo versatur praecipua, ut vera amplificetur cognitio augeaturque, in omni autem litterarum campo, quamuis latissimo, fere nihil est, quod cultum quodammodo exaratumque non sit, pro varia varii temporis scriptorumque conditione, ut, quod in proverbio est: *nihil noui sub coelo*, apte in litteras quoque conueniat, de quo scribat probus scriptor, non profecto nihil laborabit, huius dilectum potius adhibebit, eumque talem, ut non propositum sit sibi, ut scribat tantum, scribere; minime autem ipsi eius erit habenda ratio, ad quod aucupandae famae spes vahitasque inducere possit. Quo magis rationem omnem eo referet, rei, quam pertractare velit, utrum se videat parem, et, aliqua correctione adhibita, illi incrementum addere possit, ita, ut operae pretium facturus sit. Quod cum penitus perspectum, et luce clarius esse videatur, argumentis probari non debet, nec illustrari.

## §. III.

Cur autem hoc dictum est? Ut nimirum, quod quisque facile videt, eam significemus mentem, quae in pulerit animum ad operam huic rei nauandam, cuius quaecumque specimen, iam typis expressum, edimus, et placido eruditorum examini subicimus. Nostri enim consilii cum aliud nihil sit, nisi ut aliquod praebemus documentum, quo opus sit, ad ingrediendam





dam, cui nomen dedimus, vitae rationem; in quo conscribendo, cum etiam id secuti simus, quod esse debere auctori cuius bono ante oculos positum diximus, ut aliquid, quamvis id minimum sit, attulisse ad usum communem, credamus, nobis quidem praefati omnia videmur, quae probare possint aequo rerum aestimatori nostrum institutum. Qua ratione niti si velit lector benevolus, iudicaturus de eo, quum nulla res sit, omnes numeros quae vno quasi momento possit explere, sed omnia lente et per gradus ad perfectionem ascendere debeant, quoniam in omnibus rebus difficilis optimi perfectio atque absolutio est, ut huic leui nostro et manco quodammodo studio indulgeat liberaliter, id nobis erit tam gratum, quam quod gratissimum.

## §. IV.

Quamvis semper gentibus bene moratis fere omnibus eloquentia fuerit in pretio eximio, cuius quidem adhuc hodie honor est maximus, tamen artis illius nobilis, quae cuius sane, quae floruit, rei publicae emolumento fuit maximo et ornamento, partes omnes pari studio excoltae non sunt, sed quaedam factae minoris esse nonnunquam, et minimi fieri adhuc, nostris temporibus videntur. Quae certe non mediocrem illi adfert dignitatem suavitatemque, nomine actionis comprehensa, quaeque externa illius forma, et vestis ipsa digna, apte dici potest, non omne tulit punctum.

## §. V.

Hanc enim omnem eloquentiae exterioris partem, de re litteraria meritisissimus ille, Vir Summe Venerandus Ernesti, in inuitorum rhetoricorum praeclaro opusculo tacendam putauit,





tauit, eius praeceptis omissis consulto, opinione ductus, istam, pro hac oratorum nostrorum conditione, rem esse eiusmodi, qua possimus carere, praesertim cum nec ad antiquam illam, quam quondam habuerit, absolutionem perfectionemque reduci queat, nec ea, quae hodierna consuetudo ipsi detraxerit, restitui possint, et illa ipsa vetustate consensuisse videatur. Verba ipsius Viri S. V. haec sunt, in praefatione ad initia rhetorica pag. 4. „ Descripsi totam dicendi artem in partes duas, inuentionem et elocutionem — — et pronuntiatio atque actio ita cum elocutione coniuncta, ut ab ea non optime diuellantur. Ego veto et pronuntiacionis et actionis ne praecepta quidem posui. Nam, ut nunc est, oratoribus actio nulla opus, nec in istis paucis ac sedatis gestibus, quos hodie orationes desiderant, illa est, quae veteribus dicitur actio, a qua Graecis orationes, in quibus ea locum habent, *εὐφώνες* dicuntur. Pronunciatio autem paucis magistri admonitionibus, si vox a natura bona sit, facile conformabitur. “ Qua quidem in re, salua tamen obseruantia omni, eaque immortalis, qua Vir Ille Venerandus, nostra aetate, ab omnibus, merito ac suo iure, eruditionis cultoribus, et a me quidem maxime, colitur, haesitamus paullisper, quae nos in dubitationem adducant, et cohibeant nostrum ad sensum, argumenta prodituri.

## §. VI.

Omnino quidem Viri Venerandi sententia approbanda mihi videtur, quatenus differt haec eloquentiae pars ab illa antiqua, culpa negligentis eius et socordis, a recentioribus, tractationis exercitationisque, quorum plerique admodum in ista mediocriter sunt versati, ita, ut eius, ut nunc est, comparatae cum studio dexteritateque actionis in arte veterum, qua





qua nos quidem hi, quorum industria summa erat, prae-  
celluerunt longe multumque, tam parum sane adpareat simi-  
litudinis, ut illius veterum eloquentiae exterioris, quam no-  
strae, longe alia conditio videatur fuisse. — Multo certe  
magis id actionis studium cultum, plurisque aestimatum fuit  
a veteribus. — Fuisse vero et superesse, omni adhuc tempore,  
quosdam et recentiorum, qui dum iustum rei statuunt pretium,  
eam alere, augere atque emendare cupide studeant, quis  
est, qui neget? — Quorum quidem vestigia premere, quam  
rem per se vtilissimam prorsus negligere, praestat.

## §. VII.

Quod si putat Vir S. V. in istis gestibus, quos hodie  
orationes desiderent, illam non esse, quae veteribus dicatur,  
actionem, longius progredi viderur. Equidem, quid sit,  
quod istam veteris actionis conditionem, qua plane dispar no-  
strae sit, efficiat, nescio, scire certe cuperem, si ratio reddi pos-  
set; vereor autem, ne eius opinionis fundamentum in con-  
iectura magis ponatur, quam certum inueniri argumentum  
possit. Aristotelem, Ciceronem, Quintilianum, hos maxi-  
mos antiquitatis rhetoras, qui non summa eum actionis digni-  
tate solum dixerunt, sed eius etiam praecepta tradiderunt,  
si audimus, nihil est, quod ad eiusmodi discrimen ducat,  
sed easdem constituunt exterioris eloquentiae partes, quae a  
nobis hodie adhuc ad actionem referuntur.

## §. VIII.

Nec me dimouent ab hac sententia verba Viri S. V.,  
quae, sicut alia omnia persuadere nobis student, sic ambigui-  
tatis nonnihil continent: „non in istis paucis et sedatis gestibus,  
„quos





„quos hodie orationes desiderent, illa est, quae veteribus dicitur, „actio, a qua Graecis orationes, in quibus ea locum habeat, „*crisis* „*ves* dicuntur. Quis enim est, qui non intelligat, in eam partem accipi haec posse; quod eae veterum orationes, in quibus actio, ut nempe ea veteribus tum fuerit in usu, locum habuerit, — ideoque earum certum tantum genus, — haec enim adiectio has distinguere iubet ab aliis, in quibus nihil loci fuerit actioni tam vehementi, — non nisi ratione admirabilis illius sollertiae multoque maioris diligentiae, iis agendis adhibitae, a nostris fuerint diuersae, et quod illa veterum actio nostra longe fuerit maior acriorque, cuius vix umbra adhuc ad nos peruenerit, quae simili nomine *signari* non mereatur.

## §. IX.

A veteribus quidem, quam a nobis, ad perfectionem multo maiorem perductam fuisse hanc artem, negare non omnino possumus. Quod ad vocem, eiusque moderationem pertinet, singulare istud ab illis artificium inuentum erat, suos cuius voculae certos propriosque tonos ponendi, eosque fixos, et sic declamationem vniuersam per notas quasi musicas componendi, veluti per signa singulis verbis inscripta, quomodo iis et nos vti solemus in prosodia latina et graeca. Quae quidem ars separatam quandam veteris musices partem explebat. Praeterea autem id effecerant, ut ipsorum theatri musica, id est, imitante contineretur gestuum mutandarum omnis ars, quae iisdem signis certis erat praescripta, quem fere in modum hoc ipso saeculo, quae omnem in saltando passuum figurarumque concinnitatem in charta delineat, ars reperta est \*).

## §. X.

\*) Vid. *Du Bos*, abbat, erudita illa tractatio, de scenicis veterum actionibus.



## §. X.

Inde autem quid sequitur? Id forte, quod nonnulli, qui, re non satis ponderata, iusto pretio eam aestimare nolunt, purant, omnem eloquentiae partem, quae corporis dicatur, funditus amissam, nec, qualis ea apud veteres fuerit, scire satis quemquam posse? Haud quaquam: nos aliter censemus. Quum eadem sit natura et rerum simul et hominum, quae olim fuit, et quae praecipua totius huius artis parens et origo habenda est, ut et paullo post demonstrabimus, hanc neque amissam, neque amitti posse censemus; ad quam si quis animum applicat, verborum horum fidem inueniet. Et quamquam declamandi ars hodie adhuc isto quidem a perfectionis gradu longe abest, dubium tamen non est, quin ab eo, adhibita oratorum opera, atque accuratori diligentia, denuo propius abesse possimus. Qua igitur ex differentia, nihil est, quod ad probandam eorum, qui omnem contemnunt actionis dignitatem, sententiam sequatur. Certe si Viro S. V. cuncta concedamus lubentes, non est, quod rei nostrae detrimenti nascatur. Nam hic, quod alias pro certo sumitur, valere debet, maius et minus rem non variare.

## §. XI.

Oratores, qui se profitentur, si respicimus, praesertim eos, qui pro pulpitis sacris verba faciunt, quorum coetus inter nos quidem maximus est, istud vero propius esse quodammodo videtur. Verum hi non sunt, quorum exemplis non semper optimis hoc firmemus, quod actionis efficit notionem, res potius ipsa, et optimorum, quae existant, hoc de genere, praeceptorum complexus, quae partim a veteribus tradita, partim recentiorum studiis exulta, nobis de

B

actione





actione quaerentibus, id suppeditent, quod norma sit in actione inquirenda eorum, qui splendidum illud oratorum nomen habent, etsi, multis ne umbram quidem eius esse, quod a veteribus actio, et cum his a nobis, dicatur, sine mora largimur.

## §. XII.

Verum rei ipsi quid inde detrimenti nascitur? Tam parum profecto, quam religioni verae, quod de ea se iactantium plurimi ii sunt, qui eandem ipsam neque intelligant satis, nec fideliter satis exerceant; quae quidem etiam si falso a plerisque creditur, atque a paucissimis recte auditur, suam auctoritatem semper tuebitur. Quod si eloquentiae exterioris ratio in paucis nostrorum, quos se dicunt, oratorum ita, ut olim in veteribus illis, comparata est, nihilne eius reliquum est, simul cum praestantissimorum illorum antiquitatis oratorum obitu perit? Neutiquam sane. Ponamus, hanc eloquentiae partem quam maxime esse depravatam, quomodo ius inde tribuimus nobis, rem ipsam tollendi, atque omnem, quae ad eius restorationem spectat, operam inutilem declarandi atque superuacaneam? Quo magis potius omnem, quam possumus, curam, in eam corrigendam, augendam restituendamque conferre debemus, cumque in finem nullam omittere occasionem. Nec vero, quum natura sit semper eadem, quae in omnibus regnat studiis humanitatis, desperandum nobis est, sed nervi contendendi, ut, si non prorsus ad vetustatis laudem perueniamus, propius tamen ab ea remoueamur.

## §. XIII.

Verumtamen non plane viri deesse videntur, qui huic eloquentiae parti, ex qua magnam adepti sunt gloriam, maximo





maximo honori omnino sint. Qui, si rariores inueniuntur in istis ecclesiasticis sic dictis oratoribus, aliorumque numero; Iustrando regnorum comitia, praesertim illa Britonum, et iudicia Gallorum, Neapolitanorum, Venetorum, quot oratorum praestantissimorum isthic reperiemus, qui omnem auditorum attentionem in se conuertant, et, sicut ad antiquorum exemplum se formarunt, sic eos fama oris disertis aequiparent. Equidem e numero clericorum nostrorum virum aliquem egregium nouisse, eumque auduisse quondam gaudeo, qui certe dexteritate omnis eloquentiae exterioris, et in pronunciando, et agendo, exemplar insigne laudari suo iure mereatur. Cuius quidem nomen, quia notum faciam lectoribus, non dubito. Est scilicet vir hicce laudatus ille *Moeller*, qui nunc prouinciam tenet directoris paedagogii Buezuuensis, simul vero etiam eiusdem loci amittitis sacrorum. Is tantum in hac arte profecerat, et, duce natura, exercitatione magistra, ad hoc elocutionis culmen adscenderat, ut paucos haberet pares, neque vllum vnquam vitium in voce aut gestu viri huius animaduertentem.

## §. XIV.

Quae forte si fuerit Viri S. V. sententia, licet et haec, ut ex dictis satis adparet, modum excedat, nequit tamen intelligi, quid sit, quam ob rem actionem superuacaneam hodiernis pulpitis iudicet: „*Nam, ut nunc est, oratoribus actione nulla opus est.*”

Aliter hac de re statuimus, qui eam et hodie oratoribus opus esse, magno censemus opere, multis et grauibus ducti argumentis, quae iam iam in medium profereimus.





## §. XV.

Ponamus igitur, aliquam, cura et vigiliis, orationem quam perfectissime elaboratam esse, ex eloquentiae praeceptis, certum tamen est, insignem eius vtilitatem, quam mouendo auditorum animos parere debet, ex actionis, quo habetur, modo non secus pendere; quam interiore eius conditione et vero pretio, immo vero hoc etiam magis, quod vsus reapse experiundo docet, externa specie maximam auditorum partem duci. Quod iam Cicero notauit \*).

## §. XVI.

Orationis, qui semper ad alios referendus, finis hic est, sine dubio, vt iis, quorum res agitur, persuadeamus id, quod ipsis persuasum esse velimus, id est, vt intellectum ad cognitionem veri, animumque ad optimi adducamus amorem, cui respondet iudicium *Quintilianiani*, in *Institt.* l. XII. c. 10. *Sic fiet, cum id, propter quod maxime repertus est vsus orationis, vt dicat (orator) et utiliter, et ad efficiendum, quod intendit, poterit.* Frustra igitur dicere si nolumus, sed ope rationis compotes fieri voti nostri, omnibus, quae ad eum finem obrinendum faciunt, mediis, necesse erit, vt, in quibus actionis dignitas certe haud infimum obtinebit locum, illa virtutum, quibus opus sit oratori, ceterarum profecto non postrema

\*) Cic. de orat. III. 59. In iis omnibus, quae sunt actionis, inest quaedam vis a natura data: quare etiam hac imperiti, haec vulgus, haec denique barbari maxime commouentur. Verba enim neminem mouent, nisi eum, qui eiusdem linguae societate coniunctus est, sententiaeque saepe acutae non acuto-

rum hominum sensus praeternolant. Actio, quae prae se motum animi fert, omnes mouet: iisdem enim omnium animi motibus concitantur, et eos iisdem notis et in aliis agnoscent, et in se ipsi indicant. Et *Quint. Institt. oratt.* l. XI. c. III. de pronunt.





strema et maxime necessaria. Quem enim insignem usum praestabit oratio, quamvis niuidissime confecta, hac actionis suavitate si destituta sit. Auditoribus, tum de oratore, an ex animo verba faciat, iure dubitantibus, nulla erit audiendi voluptas, nullus attendendi ardor. Quo pertinet illud, quod patrono, cum causam suam segniter et oscitanter defenderet, responsum olim a Tullio est: *Tu istuc nisi fingeres, sic ageres? Vbi dolor, ubi ardor animi, etc. Somnum isto loco vix tenebamus.*

## §. XVII.

Quo consilio ante omnia id agendum est, auditores ut omnes excitemus, attentosque teneamus; attentione enim sublata, nihil effici posse, certo certius est. Ad quam animaduersionem stimulandam, quid utilius praestantiusque cogitari potest, hac potenti actionis vi, vocisque apta moderatione et suavi? Hanc autem quid plenius docet, nobili hac exterioris eloquentiae, de qua sermo est, atque frugifera arte?

## §. XVIII.

Noli dicere, satis esse ad acuendos animos, argumenta sollerter inuenta, ac recto collocata ordine, dilucide copioseque ornare. Est forte aliquid; nec negare cupimus rem totam, ubi oratio ita comparata est, ut eius efficacia per omnes partes emineat, et in omnium quasi oculos luculenter incurrat. Quot autem huius generis orationes, hodierna praesertim memoria, numerari poterunt? Quod si et nos democraticam adhuc, ut Romanorum Graecorumque nonnunquam erant, rem publicam haberemus, ad id saltem quadraret, nec penitus, quod in publicas deliberationes caderet, exceptis orationibus





forensibus. Fingamus etiam eam orationis facultatem, quae proferendas quascunque res coniungere neruose cum commodis auditoris possit, quot, quamque minutis alias, quae facile negligantur, momenti hic utendum erit, ad id efficiendum, quanto laborandum erit opere, ut quashbet et minimas praefertim orationis partes, cum ista utilitate necessario cohaerentes, ob oculos orator ponat, nullo orationis momento ex animo dimittendas. Id autem, quae efficiet ille alia re magis meliusque, quam conuertendo in se, actionis ope, oculo auditoris, animoque ad id alligando, ut ita dicam, quod alias tam penitus, quam orator cupit, mentibus non infixisset, tantum certe momentum negotio pertractato tribuisset nunquam.

## §. XIX.

Casus autem qualiscunque est, in omni tamen oratione oratoris haec in agendo facultas, ad alendam aliorum augendamque attentionem, e qua omnis pender effectus, permultum faciet. Verum enim uero, an superuacua censeri debeat, nescio; cum id agitur, ut consilia actionesque, si perniciet sint, impediuntur, sin bonae, efficiendae commendentur, idque hominibus, in quibus quavis fere aetate tot inueniuntur rudes, imperiti, inertes, ac pene omnis sensus consiliique expertes. Res potius ipsa, et, quae ardua sane et magni ponderis est simul, quaeque omnia in rem nostram conuerti iubet, prudentia suadere nobis videntur, ne quidquam dimittamus, aut parui habeamus, quo uti possimus debeamusque ad vincendum animum humanum, frangendumque, cuius tam difficultis commutatio, ingeniumque tam varium est, ut dux perituncuncta, vel minima experitur, quo facilius urbium prope iniuctarum munitiones, quae sponte in potestatem suam non veniunt,



veniunt, superare possit, et grauissima tandem impedimenta ope superat artificiorum minorum, ad quae tollenda maximi antea adparatus facti fuerant frustra. Quae omnino tanti sunt, vt saepius mediocri admodum orator multo plus valeat ope actionis dignae et perfectae, quam alius interioris eloquentiae peritissimus, qui illius tamen imperitus, adiuumento destitutus est maxime necessario. Cuius rei magnum argumentum *Hortensius* est, diu princeps oratorum, postea aemulus Ciceronis, perpetuo autem secundus: cuius tamen scripta tam longe abfuerunt ab illa viuae eloquentiae fama, vt adpareret, aliquid placuisse eo dicente, quod postea legentes non inuenerint, iudice Quintiliano l. c.

## §. XX.

Sine causa dicit fortasse aliquis, crebro tamen fieri, vt dicat etiam orator apud homines sapientes, et vulgo longe peritiores, quorum instituendorum causa, et, si malumus, capiendorum, nuda rerum et vera expositione plus opus sit illi, eaque sic conformata, vt eandem, quam velimus, earum speciem animo possint concipere, quam ista exterioris arte eloquentiae, quae plebis quidem sensus capiat, intelligentium, et certe peritiorum, mentem nequeat flectere.

## §. XXI.

Enimvero praeterquam, quod id raro oratoribus praefertim nostris euenit, hoc idem ad illos mouendos optimum erit remedium, praefertim cum opinionibus plane contrariis praecupatos, ab istis velimus detrudere, et in nostram potius sententiam adducere. Quod vt feliciter efficiamus, hosque facilius ad nostras partes trahamus, commodius omnino consultiusque duco, vt, qua parte inferiores eos cognouimus, ea ipsos





ipſos adoriatur, et, commotis adfectibus, ſenſus \*) illorum permulcere, et, ſenſim, vt ne obſeruetur quidem, nobis conciliare ſtudeamus, quos quidem natura hominum prudentioribus aequè dedit atque imperitis; horumque vniuerſis omnino vim, quam rationis multo maiorem, quibus ſemel inclinatis et perductis ad cauſam noſtram, obtemperabit ratio ſponte, vel victa pene.

## §. XXII.

Pluribus id argumentis docere, ſuperuacuum foret; ſufficit, ſi ſingulis in rebus fieri poteſt, ac ſaepe numero euenit. Vnum fatiſ fit huius rei exemplum, ex historia petitum. Romanos illos ſenatores, quis dubitabit, hac certe ratione, maxime eſſe a plebe infima diſtinguendos. Quibus cum quondam quaefor Traiani *Hadrianus*, praelegeret principis \*\*) orationem, idque rudi et incondita voce, nulla adhibita actionis ſuauiſtate, fiebat, vt conſulti loco exoptati riſus fere omnium conſequeretur, quem ob actionem eius tam humilem, iniucundam et abſurdam tenere auditores non poterant. Qua contumelia vehementer adfectus, continuo ad hanc eloquentiae partem animum adplicauit, et ad ſummam in dicendo peritiã faciendamque peruenit, *Spartian c. 3.*

## §. XXIII.

\*) Cic. de Orat. II. 45. omnes ii motus, quos orator adhibere volet iudici, in ipſo oratore impreſſi eſſe videbuntur, etc. Et II. 43. reorum exprimere mores vel in principiis, vel in re narranda, vel peroranda, tantam habet vim, ſi eſt ſuauiſt et cum ſenſu tractatum, ut ſaepe plus, quam cauſa valeat.

\*\*) Quem propter actionis decus

laudat Plinius principem in nobili illo Panegyrico. Hunc parentis publici ſenſum cum ex oratione eius, tum pronuntiatione ipſa, perſpexiſſe videor. Quae enim illi grauitas ſententiarum? Quam inadfectata veritas verborum? Quae aſſeueratio in voce? Quae adfirmatio in vultu? Quanta in oculis, habitu, geſtu, toto denique corpore fides?





## §. XXIII.

Quam etiam ob causam tum illa tanto in pretio habebatur, ut non veteres solum philosophos eloquentia praestitisse legamus, qui se arti dicendi dedissent, et ingenio ad pronuntiandum valuissent, sed, quod maxime mirandum, vel ipsi Romanorum imperatores attentione sua facultatem hanc, et opera dignam putarent, quos inter eminent nomina illa celebratissima *Augusti, Traiani, Gratiani* \*). Immo scriptores huius generis omnes argumento sunt satis luculento, quanti exterior haec eloquentia in Graecia, Latio, dum quidem floruit, aestimata fuerit, et quanto istud semper studium opere clarissimi excoluerint oratores.

## §. XXIV.

Contemplemur nunc nostros oratores, eosque sacros, qui quidem in Germania plurimi numerantur. Qua quaeso specie fieri poterit, ut ab hoc actionis ornamento auocentur, quorum quidem satis pauci illam tam necessariam, et doctore christiano tam dignam, eloquentiae partem curant. Qui quo cupidius efficere debent, ut suam homines salutem quaerant, maximumque bonum in religione putent, eandemque ob causam in audienda illa diligentes sint attentique; eo magis his in dicendo actionis praestantiam adhibeant, opus est? His enim

res

\*) Hunc ab eadem commendat in praecleara sua gratiarum actione *Aufonius*. Aliqua de orationis tuae virtutibus dicerem, nisi viderer mihi gratificari. Non enim Sulpicius acrior in concionibus, nec maioris Grachi commendabilior modestia fuit, nec patris tui grauior auctoritas. Qui tenor vo-

cis, cum incitata pronuncias? Quae inflexio, cum remissa? quae temperatio, cum vtraque dispensas? Quis oratorum laeta iucundius, facunda cultius, pugnantia densius, densata glomeratius, aut dixit, aut, quod est liberum, cogitauit?

C





res plerumque est cum hominibus, quorum maior numerus ipso vitae genere sensus sequitur magis; et super admirabundus, quoties de rebus in sensus non cadentibus, iisque diuinis verba fiunt, et, quamuis initio conuertatur in oratorem, mox tamen distrahitur animis, nisi externis quibusdam illecebris retineatur. Quantum igitur interest, diligenter ad rhetorum dicendi morem adpellere animum, qui si fideliter adhibetur, tanto pere facit ad excitandam diligentiam acundamque attentionem, ut suauiter adfecti auditores mentes colligant, atque ad altiora conuertantur, quae corrupto plerorumque hominum ingenio tantum adferunt molestiae, nonnullisque adeo offentionis nonnihil. Quae quidem de verbi diuini efficacia adferuntur, qualiacunque sunt, — nec nos ii sumus, qui velimus eam negare, aut iustum eius pretium minuire — alio pertinent, neque causae nostrae nocent, quia vera omnino et perfecta eloquentia multum facit, ut illius vis facilius in audientium animos influat, et iuncta illi exterioris eloquentiae venustas res sit et vilis admodum oratori, et maxime adeo necessaria. Ea sane destitutus deformabit vere oratoris sacri dignitatem, cui modis omnibus consulere debuerat, ne rerum pondus voce ridicula, gestibusque ineptis minueretur. Huius enim seculi moribus iisque elegantioribus praediti homines, qui coetui interfunt, id omnino diligunt, desiderant et sequuntur, quod ipsorum ingenio vitaeque elegantiae respondet, eoque ducti sensu, oratorem, ipsorum desideriis non omnino iniquis tam parum conuenientem, fugiunt magis, quam audire cupiunt, ne istius, quae tantum ipsis praebent fastidii, orationum audiendarum molestia fatigentur. Quod si forte factum fuerit, ut eiusmodi frequentent conciones auditores, nihil profus efficiet, sed surdas sane aures pulsabit; et, quae huic iure quidem probra obii-



obiiciuntur, in saniozem tandem recidere religionem ipsam solent. Sic igitur altera pars consulto, istius audiendi vitabit occasionem, altera, si praeber aures, inuita quam maxime impatiensque aderit, et vel dormitabit in vtramuis aurem, vel garriet, vel alia ager omnia. Quae incommoda, sicut illa per se tam bona, tamque frugifera ars experietur raro, sic contentam et neglectam comitantur, ac seuera vltione vindicant.

## §. XXV.

Quid homines doctiores moueat, vt in alia discedant, non ignoro. *Aristotelis* enim capiuntur auctoritate, qui Rhetor. III. 1. totam artem pronuntiationis atque actionis *Προτιμην*, leuem iudicat atque ineptam quod, quidquid praeter probationes adferatur, sit superuacaneum habendum. Sed hi non attendunt, quid ipse confiteatur, propter auditoris vitium plurimum illam valere, atque aequum esse, ne iis, qui nos audiant, molestiam creemus. Est igitur aliquid concedendum hominum imbecillitati, quo facilius hanc sanemus, cauendumque, ne, offensis illis, vel omnem, vel magnum eloquentiae fructum perdamus.

Probe quidem noui, *Quintilianum* quoque in proemio sentire p. 5, in elocutionis partem pronuntiationem venire. Hic ipse tamen, rei grauitate permotus, XI. 3. sigillatim de voce atque motu praecipit, ob rationes, quae hodieque valent. Ex vna de caeteris licet iudicare. Neque probatio vlla, quae modo venit ab oratore, tam firma est, vt non prodat vires suas, nisi adiuerur asseueratione dicentis. *At vero pronuntiatio paucis magistri admonitionibus, si vox a natura bona sit, facile conformabitur.* Quid autem fieri debet, si vox a natura, vel





ineuntis aetatis negligentia, mala sit, vt in ipso Demosthene, et compluribus aliis. Breui. nihil potest sanius dici, eo, quo vir summus illos repellit, qui tria caussarum genera spernunt, quod hodie non sint ἀγῶνες p. 22. init. („non potest intelligi, quare vetus disciplina mutetur, praesertim cum, ea conseruanda, veterum Rhetorum intelligentia adiunetur. Atque etiam, si in vna et item altera ciuitate sublata est consuetudo, vel de re publica in consilio publico, vel de iure in iudicio dicendi, tamen nonnullis locis ea adhuc viget. Non est autem consentaneum, artem ac disciplinam vni et item alteri ciuitati, et certo tempori accommodari.“)

Satis de actionis oratoriae necessitate. Pars posterior necessaria eius praecepta tradet.





ULB Halle

3

004 057 996




v298

56











B.I.G.

Farbkarte #13

237 DE 15, 13  
CTIONE ORATORIA  
PROLVSI O

CVIVS PARTEM PRIOREM  
PRAESIDE  
VIRO AMPLISSIMO DOCTISSIMOQVE  
DANNE FRIDERICO HILLERO  
LOQUENTIAE PROF. PVBL. ORDIN. ATQVE ALVMN  
ELECT. EPHORO

FAVTORE MAXIME COLENDO  
DIE XXVIII. DECEMBRIS MDCCLXXV.

H. L. Q. C

PVBLICE DEFENDET  
AVCTOR  
GODOFREDVS IACOBVS SCHMID  
MAGDEBVRGENSIS

VITEMBERGAE  
LITTERIS CAROLI CHRIST. DÜRRII ACAD. A TYPIS

50  
(1775)

